DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PNEUMONIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

BERNARDUS KELLY,
Hibernus.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT JACOBUS NEILL.
MDCCCXIX.

AVUNCULO SUO CARISSIMO,

BERNARDO RUTTLEDGE,

ARMIGERO,

INGENIO ATQUE PROBITATE,

ÆQUE INSIGNITO,

OB CONSILIA AMICISSIMA,

CURAMQUE BENIGNISSIMAM,

HOC OPUSCULUM,

QUALECUNQUE SIT,

DICAT,

DEVINCTISSIMUS.

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

6

DE

PNEUMONIA.

PRÆFANDA.

INTER organa quibus vita maxime pendet, nullum quam pulmo, medici attentionem magis vindicat; quippe quo, hac saltem in regione, non viscus ullum frequentius subeat inflammationem, haud raro lethalem. Huic organo inflammato, diversi auctores, diversa nomina dederunt, prout quisque sibi, mali sedem judicârunt inesse. Si quis inflammatio-

nem decrevit pleuram costalem obsidere, Pleuritis nominatur vitium, dum alius substantiam pulmonum affectam esse putans, nomen Peripneumoniæ imposuit. Inter medicos qui de parte, quam hicce morbus primo invasit, diversas opiniones inierunt, CULLENUS eximius pleuram, arbitrare mihi videtur ab initio affectam esse; et hæc verba habet: "To me it seems probable, that the disease is always seated, or at least begins in some part of the pleura, taking that membrane in its utmost extent, as now commonly understood; that is, as covering not only the internal cavity of the thorax, but also as forming the mediastinum, and as extended over the pericardium, and over the whole surface of the lungs *." Huic vero opinioni vix consentit PRINGLEUS, qui his in verbis loquitur: "We ought to consider these two diseases as one, in which the lungs are always inflamed, and often without the pleura, but the pleura never without the

* CULLEN's First Lines.

"lungs*." Sed corpore patefacto post mortem, sat superque docemur ut in pulmones nullo in loco certo inflammatio incedat, sed eosdem involvat ubique, aliam post aliam partem afficiens: et BOERHAAVIUS qui cadavera sæpius incidit, ita dixit; "nulla est pars integumentorum "interni thoracis quam non aggreditur; tota ergo pleura, totumque mediastinum, hinc anterior, posterior, dextra, sinistra, superior, inferior, "exterior, profundior pars, æque obsidetur hoc "malo, sed imprimis latera." Ideoque nihil interest morbum in species sejungere; sed potius sub Pneumonia vocabulo omnigenam pulmonum inflammationem includere, pleuræ an parenchematis sit. Species enim jam dictæ ex iisdem rebus originem trahunt, eandemque medendi rationem postulant, et tantum gradu non in re differunt. De Pneumonia mihi in animo est disserere, summos honores medicinæ ambienti, qua decet observantia; sed nulli spei vanæ in-

* PRINGLE on Diseases of the Army.

dulgens aliquid novi proferendi, et quod restet quam brevissime dicam.

DEFINITIO.

In morbis definiendis, omnibus aliis longe antecellit Cullenus, qui præstantissimam sed curtam definitionem edidit, sequentibus verbis: "Pyrexia, dolor in quadam thoracis parte, re-"spiratio difficilis, tussis." Huic igitur nihil addam, quippe quæ paucissimis in verbis præcipua contineat morbi signa, sed in historia sequente mihi liceat fusius ac plenius loqui.

HISTORIA MORBI.

Rarissime si unquam, in calidis regionibus hic morbus invenitur, sed quæ ad septentriones vergunt, imprimis sævit, nulli sexui parcens. Vix transit hiems, aut ver incipit, sine multis hominum exemplis, qui hac peste sola e medio sunt sublati. Hic quidem diversus, diversis in

hominibus invadit, nec semper prodit iisdem indiciis, sed quasi latet, pectori hærens. Æger enim nil nonnunquam sentit, nisi fortasse levem thoracis stricturam, vel languorem aut lassitudinem; neque plus solito micat cor, neque corpus nimis calescit. Sed talia signa haud diu perstant, et cito febrem plus minusve gignunt quam pronunciant horrores vel rigores. Febre ita inducta, cordis actio augetur, pulsus arteriarum frequentes, pleni, duri, et validi, faciem rubram ac turgidam, capitis dolorem, præcipue circa frontem inferunt. Inde calor pendet universi corporis, et haud raro sitis inexplebilis urget; omnesque functiones facile perturbantur. Nonnunquam vero febris gradatim incipit, et paucos dies lenis perstat, et nihil molestum nisi tussim inducit; sed jamjam vehementissime ardet, cum dolore fixo, ac acuto, qui cum tussi sicca valde pungit, plenius inspirando. Tussis ab initio sicca fere semper observatur, morbi progressu, humida, facilis evadit; et quidque excreatum speciem variam induit, tenuem, crassam ac subflavam, nec raro cum sanguine mistam. Dolores unum locum haud sem-

per tenent, sedem variant, nunc ad humeros tendunt, nunc circa costas spurias, nunc sub mediastino sentiuntur, et spatium inter quartam sextamque costam præcipue adoriuntur. Interdum vero fixi manent, nec sedem unquam mutant, summaque inquietudine. Status alvi diversim se prodet, plerumque astringitur, cum urina parca ac rubra; nonnunquam vero solvitur, copiosaque fluit urina limpida, sine ullo sedimento. Respirationis munus, quod diversos morbi gradus bene ostendit, ægris diversis varie perficitur; quidam, febre leni satis libere spirant; hac autem aucta, anhelant magno cum dolore. Hic, e corporis situ, multum pendet, erectum sit, an supinum. Qui in latus affectum decumbunt, fere semper magis dolent; sed aliter se habent in illo sano. Interdum vero, quod doloris immune est, latus magis laborat decumbendo. Nihil, quam tussis frequentius urget, neque ægrum magis angit, et somnum tollendo, et corporis vires exhauriendo. Sicca enim illa, quid pectoris dolores plus intendat, aut sanguinem versus caput pariter congerat? His præsentibus, non modo surdescit æger, aut

aurium tinnitu afficitur, sed quoque difficiliter spirat, aut plene inspirare timet. Anxietas continuo illum urget; ne quidem requiescere unquam fere queat. Quid mirum est delirium accedere, quod ferocius aut mitius observatum est sævire? Si aliquando atrociter delirat æger, exardet quoque febris; "et comitantur vultus "rubor, ingens arteriarum pulsus, aurium tin-"nitus, oculi rubri inflammati, truces mican-"tes, lucis impatientes;" sed mentis alienatio varie occurrit, nisi morbus ad finem tendat, et tunc mite est delirium, quod, "cum pulsu "sæpe debili, vultu pallido, collapso, vertigine "a situ erecto, prostratis viribus, sæpe observa-"tur *." His maximæ debilitatis indiciis accedunt, respiratio tarda, occuli hebetes, extrema frigida, subsultus tendinum, cum aliorum morbosorum caterva, quæ sat superque demonstrant mortem sine mora appropinquare.

---

* GREG. Consp. Med. Theor. pag. 94, 95.

DE FINIBUS MORBI.

PNEUMONIA omnium instar morborum qui sub ordine phlegmasiarum comprehenduntur, varios in fines potest transire, utpote quæ in resolutionem desinat, cujus eventum optimum medici est summa cura inducere: necnon, morbo diutius sæviente, in suppurationem, quæ vomicam, febrem hecticam, aliaque mala gignit; et denique, his haud bene cedentibus in empyema, quod fere semper finem infaustum properat. His quoque dictum est accedere gangrænam, quæ remediis nil valentibus, nunquam non est exitialis.

I. *Resolutio.* Hæc quidem in omni morbo præ aliis finibus maxime optanda est; quæ in hoc plerumque citius aut serius accedere solet ante septimum diem. Duabus ex viis accedere videtur, nempe vi naturæ medicatrice, vel aptis remediis tempestive adhibitis. Sponte abiturum esse malum indicat libera tussis, cum

tenui pituita, quæ haud raro subflavescit, aut sanguine miscetur. Subsident dolores pungentes neque inspirando augentur, atque gradatim mitescunt inflammationis notæ, quæ primo præcipue urgebant. Nonnunquam vero quædam hunc finem comitantur exinanitiones, quæ morbum bene denotant absolutum iri. Sudor enim interdum tenuis ac calidus universum per corpus erumpit; sæpe urina copiose fluit, quæ materiæ subalbidæ multum deponit; sanguis e naribus vel venis hæmorrhoidalibus haud infrequenter vi magna prorumpit; quibus denique succedunt menses, qui multo plus solito prodeunt. Ad eandem rem diarrhæam biliosam frequenter observatum est conferre; sed præ omnibus expectoratio copiosa e mucosis membranis pulmonis morbum optime solvit, atque huic secretioni favere cum aptis remediis semper oportet. His autem exinanitionibus nequaquam confidere debet medicus, quamvis sint profusæ ac liberæ; sed aliis auxiliis uti, quæ semper penes eum sunt, et certa vi pollent morbi solvendi. Resolutionem inceptam esse bene probant doloris

remissio, respiratio magis libera, et pulmonibus aëre impletis, dolor fere nullus.

II. *Suppuratio.* Hanc adstare multa prædicant. Si morbus, ultra diem decimum maxime sæviat sine ulla ope, quam sanguinis detractio solet adfere; si pulsus prius crebri, nunc molliores evadant; et doloris remissionem dyspnœa excipiat cum tussi sine expectoratione, et sentiatur in pectore pondus, cum sudoribus gelidis, ne vomica inducta sit, et in pulmonibus lateat, multum timoris erit; eoque magis si horrores ac rigores superveniant cum febre hectica. Hoc abscessu dirupto, pus facillime in cellulas aërias est effusum, ægrumque suffocat, vel in thoracis cavitatem aperiens, signa gignit, quibus adesse empyema bene notum est; qualia sunt, tussis frequens et fluctuationis sensus cum pondere et molestia ad partem affectam, necnon respiratio difficilis et febris hectica multaque alia hydrothoracem bene denotant. Nonnunquam æger subito moritur, aut phthisi inducta, lente consumitur. Interdum vero accidit, ut pus per

tussim ejiciatur, et æger, sed magno vitæ discrimine, in sanitatem redeat.

III. Effusionem ubi pneumonia nec sponte abit, neque remediis cedit, experientia supervenire satis docet. Hoc accidit ubi sanguis aut serum, ex vasis ruptis in vesiculas pulmonum transit, et pariter respirationem difficilem reddit, ac sanguinis circuitum impedit. Neque desunt indicia, quæ satis depingunt hunc morbi finem. Vultus apparet lividus ac tumidus; oculi suffusi, et æger nisi corpore erecto spirat, idque maxima cum anxietate et doloris capite. Omnia hæc ingravescunt; pulsus debilis est ac intermittens; in frontem erumpunt gelidi sudores cum oppressionis sensu circa præcordia; expectoratio supprimitur, syncope accedit, pedemque mors corripit diræ vitæ ægrum eripere.

IV. *Gangræna.* Quamvis hæc inflammationi succedat ullius visceris, rarissime tamen si, unquam pulmones adoritur. Sed ubi aggreditur, cum malorum cohorte stipatur. Omnes rece-

dunt dolores cum facie pallida, spiritus male olet, cum sudoribus frigidis, oculi hebescunt et cor inequaliter micat, et singultus morbi nuncius, et subsultus tendinum, finem morbo imponunt.

DE CAUSIS.

Quicunque magno corporis vigore gaudent, huic morbo præcipue obnoxii sunt; si laute vivunt, fibrarumque augeant rigiditatem, qua primum instructi sunt. Quamobrem viri præ fœminis fere semper subjiciuntur; qui potius prima quam provecta ætate vivunt. Sed interdum nullus sexus neque ætas immunis est; neque malum de quo agitur "pauperum tabernis "regumque turribus" parcit. Sunt proclives, qui temperamento sanguineo gaudent, et de quibus Sydenhamus, sequentia verba habet; "temperamenta sanguinea præditos, præ reli-"quis aggreditur, sæpe etiam rusticos, et duro "jam fractos membra labore." Hinc ratio haud obscura est, cur eosdem præ aliis infestat

frequentissime, debilesque otiosos relinquit incolumes. Sed multa præter hæc homines reddunt proclives, et inter alia, cœlum variabile, anni tempestates jure recensentur; ideoque hyeme atque vere in morbum sæpius incidere observantur homines, quam autumno vel æstate; et quo frigidior ac humidior sit aër, eo magis fiunt proclives. Porro gracile pectus sive maleformatum proclivitatem potest dare; quippe quod sanguinis congestionibus in pulmonibus faveat, respirationem impediat, atque inflammationis fundamentum jaceat, denique experientia sat superque probat, quo frequentius aliquis sit pneumonia correptus, eo facilius semper postea obnoxius fiat.

Inter causas, quæ pneumoniam excitant, jure annumerandum est frigus; quod et omnium potentissimum, et longe frequentius occurrit. Hujus autem potentia plus minusve valet, secundum humiditatis gradum, quicum frigus calori simul conjunctum sit. Hinc vi duplice pollere mihi videtur inflammationem excitandi, si corpore nimia exercitatione calefacto, humidus ac frigidus aër subito applicetur; quippe quod

perspirationem omnino sistat, eandem introrsum pellat. Inde ratio patet eorum qui post magnam corporis defatigationem vel super humida terra sedent, vel in nocturnis roribus sub pleno jove dormiunt. Quam facile in morbum incedunt, de quo agimus. Præterea multa alia inter noxas excitantes rescensentur, veluti injuria pectori illata, vapores arsenici aut acidi, qui admodum pulmones stimulant, denique exercitatio immodica vel in loquendo aut canendo; et inflatio longa musici instrumenti; catarrhus, et morbi exanthematici repulsi, proculdubio pneumoniam excitant, haud infrequenter lethalem.

DE DIAGNOSI.

Magni momenti est veram facere diagnosin, ex qua ars medica præcipue pendet. Medici experti est rationem morborum rite perpendere, priusquam bene cognoscat, quæ similia sint, quæ non. Morbi, qui pneumoniæ produnt similitudinem, sunt, Catarrhus, Peripneumonia Notha, Carditis, Pleurodyne, et Hepatitis.

I. Catarrhus si nihil habeat, nisi lenem capitis dolorem, sensum plenitudinis cum naribus obstructis, epiphoram, fauciumque molestiam, diagnosis est facilis; sin autem pulmones adoriatur inflammatione ex qua adsunt tussis sicca, difficilis respiratio, atque pectoris dolores sub plena inspiratione, illum a pneumonia distinguere vix potest. Sed nihil refert, alter enim in alteram facile transeunt, eandem postulant viam medendi, eademque remedia. Peripneumonia notha haud parum a pneumonia distat, ubi alteri alteram comparamus, et diversas ætates diversis corporis habitibus utriusque hominis affecti. Illi in illam facile incidunt, qui intemperantia et senio confecti sunt. Qui corripiuntur, illis sunt facies livida, respiratio admodum difficilis, et mitiores dolores in pectore. Sed in hac adsunt synocha, et omnia signa graviora. Sed præterea qui sæpius afficiuntur, florenti ætate cum pleno habitu corporis fere semper gaudent. Carditis cum pneumonia vix confundi potest. Signa quæ aliam ab alia seponunt, sunt anxietas summa, pulsus intermittentes, et palpitatio cum syncope. Sed nil mali fieri po-

test pro duobus morbis iisdem remediis utendo. Pleurodyne magis rheumatismo quam pneumoniæ affinis est: et musculos thoracis, et præcipue intercostales infestat. Febris lenis est, nec tussis aut dyspnœa urgent, et pars affecta premendo dat dolorem, qui sæpe cum articulis alternat. In pneumonia sejungenda a hepatitide vix potuit errare inexpertus. Hanc insigniit dolor in hypochondrio dextro, pressu auctus, qui ad claviculam et summum humeri dextri ascendit, et decubitu in sanum latus multum intenditur. In illa nunquam premendo dolor sentitur, sed latet in aliqua parte pectoris, fixus, et in latus affectum decumbendo, tussiendo, et inspirando, pariter augetur. Præterea tumor sentitur in hypochondrio dextro, tussis sicca, vomitus et singultus adsunt: vultus flavescit, et omnia icteri signa jamjam accedunt, quæ plane docent hepar affici.

PROGNOSIS.

Medicum in prognosin faciendo, summa ope niti decet, sedem ac morbi historiam, ægri ætatem, necnon remedia administrata, rite perpendere. Hæc enim omnia ad eventum præsagiendum maxime conferunt, faustus an infaustus sit necne. Si organa vitio afficitur, a quo vita maxime pendet, periculum nunquam deest. Si morbus ab initio negligitur, et idonea remedia intempestive administrantur, et febris maxima vi urget, et medicamentis haud cedit; si ægrotus senio conficitur, et sanguinis jacturam haud bene tolerat; præcipue si respiratio difficilis, et non nisi corpore erecto exercenda; si pulsus languidus micat, et haud infrequenter intermittit; et sputum supprimitur, et haud nisi difficulter excreatur, sed in gutture strepit; si facies et labia livescunt, et frigidus elicitur sudor, qui in frontem aut cervicem erumpit, et vix in alia corporis parte dum extrema frigescunt et livida apparent; his præsentibus, faustum eventum vix licet prædicere. Sin autem ad febrem mi-

nuendam, sanguinis detractio aliaque idonea remedia tempestive adhibita valent; quo fit, signa jam dicta leniora evadant, neque obtusus dolor urgeat in pectore, sed æger facile respiret, et libere extussiat, et materia excreata flavi coloris ac copiosa sit; denique si superveniunt sanguinis fluxus e naribus, et universus sudor per totam cutem; et alvus sponte fluit cum urina lateritium sedimentum deponente, faustum eventum prædicere licet.

RATIO MEDENDI.

Ex historia morbi rite perpensa, periculum ejusdem satis patet; ideoque summa ope medicum niti decet morbum tollere.

Consilium medendi duas partes complectitur, nempe, primum, inflammationem amovere; et secundum, curtare aut lenire febrem. De remediis, quibus hæc proposita perficiuntur, princeps est detractio sanguinis, quæ tanta vi fere semper pollet morbi solvendi, ut medici spem vix unquam fefellerit. Itaque, quam primum morbus incipit, ad hoc auxilium confugimus optimo cum

fructu; et quo citius sanguis mitti potest, eo melius est. Quod ad copiam attinet, quæ semel mitti debet haud satis constat; ab ægri ætate, morbique viribus multum pendebit. Ubi pyrexia maxime urget, et æger robusti validique corporis ætate florente gaudet, venam brachii incidere oportet vulnere satis amplo, ut sanguis cito fluat ad defectionem animi; in hoc enim modo multum inducitur beneficii. Ad hunc statum favendum operatio fieri debet corpore ægri erecto. Sed rarius accidit ægrum una detractione sanguinis multum levari; ideoque, nisi leniora sunt signa, et remissio accederet, venæsectio iterum fieri debet, iterumque repeti eodem etiam die, secundum dolores urgentes, et quoties signa jam dicta redeunt, toties sanguinem mittere oportet. Epispastica post sanguinis detractionem proximum tenent locum, et opem haud parvam in hoc morbo ferunt. Sed magis prosunt, ubi dolor in una parte, parum diffusus acriter pungit. Nonnulli medici in iis spem maximam ponunt, dum alii stimulum eorum timent, et noxam inferre putant. Contra, vero, post plenam sanguinis detractionem, ubi ad partem maxime dolore affectam adhibita sunt; si non mor-

bum omnino solvunt tamen venæsectionem minus necessariam reddunt. Purgantia ineunte morbo necessaria sunt, præcipue ut congestionem sanguinis in pulmonibus deorsum ducunt, sed quibusdam persuasum est provectiore morbi stadio vix unquam adhibenda esse. Expectorantia ubi pulmones admodum infarciuntur muci spissitate et tenacitate, maxime laudantur; inter hæc optimum est scilla maritima, quæ in parvis dosibus prodest. Ad eundem finem conferunt blanda diluentia tepida, et pediluvium, quæ perspirationem eliciendo sitim et tussim auferunt. Vapores aquæ in pulmones inhalatæ præcipue cum aceto mistæ, sitim levant, et expectorationem promovent. Præterea demulcentia mucilaginosa per totum morbi decursum usurpantur; et ad sputum augendum, et ad excreationem promovendam, maxime utilia sunt, et tussim frequentem, et irritationes magnas circa fauces et glottidem optime amovent. Denique finem versus, ubi tussis, et pervigilium urgent, et æger oculos claudere in somno nequit, opium multum commodi adfert, et in tussim levando, et somnum inducendo.

FINIS.